

7

I. N. Z. C.
DISSERTATIO GRADUALIS
DE
**DELICTO
FABRICATORUM
TURRIS BABELICÆ,**
GEN. XI: 3, 4

QUAM
*Consensu Amplissimi SENATUS Philosophici
in Regia Academia Aboënsi,*

PRÆSIDE

**MAG. JOHANN E
BILMARK,**

HISTOR. AC PHILOS. PRACT. PROFESSORE ORDIN.

Publico Examine modeste subijcit

JOHANNES PETR. DAHLBERG

Stockholmiensis,

In AUDITORIO SUPERIORI die XXIII Novembr.
Anni MDCCCLXXI.

H. A. M. C.

A B O Æ

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.

S:Æ R:Æ M:TIS
SUMMÆ FIDEI VIRO,
REGIS REGNIQUE SVIO-GOTHICI SENATORI,
ACADEMIÆ CAROLINÆ CANCELLARIO,
ORDINUM REGIONUM EQUITI AC
COMMENDATORI,
ILLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO,
HEROI AC COMITI,
DOMINO
GUSTAVO
ADOLPHO
HJÄRNE,
MÆCENATI SUMMO,

Tenuem hanc Opellam
Supplex offert
Clientum minimus
JOHANNES P. DAHLBERG.

KONGL. MAJ:TS

TRO-MAN OCH BERGS-RÅD,
HÖGÅDLE HERREN,

HERR VOLTER PETTERSSSEN,

HÖGGUNSTIGE GYNNARE.

Tillåt, Höggunstige Herre, at med dessa kortta rader få förfäkra, det de otaliga välgjeringar, som Herr Bergs-Rådet behagat mig ifrån min spädaſte barndom bevifa, förvaras i et årkjånſamt ſinne, hvars vördnad ej förr än med mitt lif ſkal uphöra. Tillåt äfven detta lilla Academiska arbete få inför allmänhetens ögon vara et vedermåhle af min beſtändiga tackſamhet, ſom i brill af alt annat ſkal yttra ſig i de tråгна ſuckar jag dageligen upfänder til Högden för Herr Bergs-Rådets välmåga, ſamt i den outhörliga högaktning, hvarmed har åran til ſidſta lefnadsſtunden framhårda

HÖGÅDLE HERR BERGS-RÅDETS

ödmjukaste tjänare
JOHAN P. DAHLBERG.

VIRO Admodum Reverendo atque Præclarissimo,

**D: NO MAG. JACOBO
MALMSTEN,**

Ecclesiarum, quæ DEO in Kimito colliguntur, PASTORI & PRÆPOSITO meritissimo,


PATRONO PROPENSISIMO.

Ex quo ad Hyperboream hanc Musarum sedem perveni, benignum adeo in TE, Admodum Reverende D:ne Præposite, expertus sum Patronum, ut ne meliorem quidem mihi exoptare potuerim. Tu me peregrinum, consiliorum & omnium fere rerum inopem, benigne ac liberaliter sublevasti, adeo ut in ardua eruditionis ac virtutis semita non defecerim. Nihil adhuc habeo, quod TIBI rependam; suscipe tamen Dissertationem hanc, quam TIBI consecratam volui, in tesseram pietatis meæ nunquam intermorituræ. De cætero ad summum rerum omnium Moderatorem pro omnigena TUA felicitate calidissima fundam vota, ad cineres usque permanfurus

Admodum Reverendi Nominis Tui

humillimus cultor

JOHANNES P. DAHLBERG.



PRÆFATIO.

Post tempus temere neglectum, quod hominibus antediluvianis ad resipiscendum concesserat Benignissimus DEUS, & post conclamatam scelerum ac vitiorum, ab illis patratorem, enormitatem, Justissimus Vindex tandem fenestras cœli aperuit, & tantam imbrium copiam per continuos quadraginta dies contumacibus immisit, ut aquæ totum terrarum orbem ad insignem altitudinem inundaverint, rebellesque DEI cives suffocaverint; in spem tunc fatiscentis, sed mox renascituri generis humani ex imminente naufragio superstitite Noacho cum sua familia octo admodum personarum. Enimvero quamvis in hoc diluvio plerique mortalium interierint, non tamen scelera & flagitia eadem ruina fuerunt involuta, quin potius cum novo orbe scelera tam nova quam pristina recruderint, & ex nova terra paullo post nova resurrexerint damna. Apparebant ubique locorum vestigia pœnarum, hominibus merito immissarum, ad quæ animus eorum, qui ab æstantibus undis incolumes evaserant, debuisset exhorrescere; attamen in magna paucitate, octo videlicet personarum, reperiebantur aliquot cristas temere erigentes, nec a peccatis sese caventes, adeo ut primus statim docuerit eventus, flagitia non fuisse extincta, sed fœcundata & nutrita potius. Viam enim emergentibus post cataclysmum peccatis monstravit ipse parens Noachus intempestiva crapula. Hæc ansam dedit uni filiorum tanta Patrem adficiendi injuria, quanta hujus promeruit indignationem, ita ut immorigero filio cum sua posteritate

A ritate

ritate maledixerit. Ex hoc rursus agro fecundo gravissimum inter Patrem, Filium & Fratres existit odium. Incremente deinceps humano genere, increvit simul hominum malitia, adeo ut mandatis divinis tergiversari haud dubitaverint. Heic a nobis precipue in censum veniunt fabricatores turris Babelicæ, quos in Majestatem Divinam peccasse, ideoque justa poena multatos fuisse constat; licet non æque in confesso sit, qua potissimum ratione deliquerint. Quum itaque in hac disquisitione multa occurrant sententiarum divortia, nos quoque paucis dispiciemus, quid heic statuendum sit, sensum planissimum ex Scriptura Sacra eruentes, non arbitrarium eidem inferentes; iudicio ceteroquin Lectoris B. permittentis, an veritatem tetigerimus, vel a recto tramite inviti deflexerimus.

§. I.

Factum, quo iram DEI provocarunt turris Babelicæ fabricatores, indigitat potius, quam succincte describit Sacer Vates, quod tamen silentio prætermittere, inflicti ratio haud permittit. Postquam igitur aquæ diluvianæ ita subsedissent, ut terra iterum excoli potuerit, DEUS præcepit Noacho, ut ex Archa, cujus incola per undecim fere menses fuerat, egrederetur, atque ut ipse & Filii ejus sese multiplicarent, ut totam implere possent tellurem, Gen. VIII: 16, 17, IX: 1, 7. Substitisse igitur aliquantisper videntur hi generis nostri statores ad radices montis Ararat; sed quum successu temporis sufficientem victum heic non invenirent, imperiosa coacti necessitate, tentoria sua in fecundissima planitie terræ *Sinear* (a) constituerunt Gen. XI: 2. Heic autem mox agitare coeperunt consilia, quomodo sibi in posterum confulerent, tandemque, ut Sacer Codex memoriæ pro-

dit,

dit, fuit decretum: *Faciamus lateres, eosdemque coquamus; utamur lateribus pro saxis, atque argilla pro calce; extruamus urbem & turrim, cujus culmen pertingat usque in cælum, ut faciamus nobis ☐☐ nomen vel signum, ne forte dispergamur per terrarum orbem Gen. XI: 3, 4.* Plura de Architectorum horum facto, in cujus moralitatem jam a nobis erit inquirendum, præerunte Scriptura Sacra, nobis non constant.

(a) De situ terræ *Sinear* multa disputant eruditi; probabile autem est, eam fuisse partem illam Mesopotamiæ, quæ *Senjar* nuncupatur, ubi etiam occurrit desertum ejusdem nominis, in quo Astronomi tempore Califæ ALMAMUN magnitudinem gradus terrestris mensurarunt; vid. *L' Histoire Universelle d' une Société &c. Tom. I. pag. 257.*

§. II.

Quum in allatis Scripturæ Sacræ verbis dicatur, quod fabricatores turris Babelicæ sibi propositum haberint, ut turrim ædificarent, cujus culmen in ipsum pertingeret cælum; Eruditi nonnulli citius, quam verius, calculos suos subducentes, hinc occasionem sibi sumserunt statuendi, quod Architecti modo memorati eo ferocia processerint, ut in ipsum cælum penetrare voluerint, Omnipotentem DEUM sede Majestatis suæ deturbaturi (a). Hi autem nostro ex judicio verisimilitudinem non sunt secuti; verum argutis Poëtarum nugis sese in transversum abripi sunt passi, sacra profanis miscentes, & Sacræ Scripturæ in hoc argumento applicantes, quæ OVIDIUS de pugna Gigantum cum Superis cecinerat: *Adfectasse ferunt regnum caeleste Gigantas - - - Altaque congestos struxisse ad sidera montes* (b). Enimvero ex tur-

bidis adeo fontibus nihil limpidi, nedum sani hauriri potest. Quod de fabricatoribus dicatur, ipsos turrim, quæ in cælum usque pertingeret, molitos fuisse, hæc verba nihil aliud significant, quam quod altissimam turrim exstruere sibi proposuerint, id quod loca parallela satis indicant. Sic *Deut. I: 28. Civitates Cananeorum magnæ dicuntur & munitæ usque in cælum.* Quum itaque in exstrukione turris, quantumvis altæ, nullum appareat vitium, quod indignationem Supremi Numinis meruisset, siquidem ejusmodi turris in nimium fastigium protensa mole sua facile corrueret; evidens est, quod Eruditi, qui in sententiam modo memoratam iverunt, moralitatem facti propositi non ita exposuerint, ut sua dilucidatione sciendi cupidis ex assè satisfecerint.

(a) Cruentum hunc suscitatae turris Babelicæ finem Veteres suis depinxerunt imaginibus ac figuris, contententes, cælum conscendere ac penetrare statuisse Babylonios ad bellum cum DEO gerendum, vid. *Abarban. cit. a von Der Hardt in Ephem. Philol. p. 63.* nec non *Bochart. Phaleg. Libr. I. Cap. XXIV. p. 47.* (b) Vide *Libr. Metamorph. OVIDII.*

§. III.

Alii rursus sibi ceterisque persuadere conantur, superbiam quidem, sed quæ alio sese manifestavit modo, quam quem in § antecedente exposuimus, fuisse delictum fabricatorum turris Babelicæ. Scilicet hi ipsi diffidentia in DEUM atque intempestiva vanitate ducti proposuerant sibi, monumentum quoddam suæ potentia, in seram posteritatem duraturum, relinquere, antequam per terram dispergerentur, quare exstrukendæ turri sese accinxerunt.

Robur suæ sententiæ ex ipsis Scripturæ Sacræ verbis colligunt: *Exstruamus turrim ut faciamus nobis nomen, antequam forte per terrarum orbem dissipemur* (a). Unde colligunt, quod hoc molimine vanam sibi gloriam captaverint hi fabricatores. Enimvero quum præeunte Historia notum sit, gentes Orientales admodum delectatas fuisse magnificis quibusvis atque excelsis operibus exstruendis, imprimis vero Reges Ægyptiorum Obeliscis, Pyramidibus aliisque ingentibus ædificiis construendis præter necessitatem & sæpe non sine maxima subditorum vexatione fuisse occupatos; nullo tamen constat indicio, quod DEUS propter hanc vanitatem pœna quadam ipsos multaverit; quamobrem nec satis tuto concludi potest, in simili fabricatorum turris Babelicæ levitate animi, quærendam esse veram malitiæ ipsorum rationem. Quid? Quod DEUS promittat probis, ut ipsorum nomen totum orbem pervadat. Licet igitur arrogans omnino fuerit factum Babelicorum, qui ipsi parare sibi voluerunt hanc nominis celebritatem, non tamen adeo nefarium fuit, ut extraordinaria & certo respectu in totum genus humanum redundante pœna coerceri meruerit.

(a) Vid. *Ante cit. L' Histoire Universelle T. I. p. 258.*

§. IV.

Sunt quoque nonnulli, qui opinantur, quod homines statim post diluvium viventes, atque in memoriam sibi revocantes calamitatem illam, ex qua Noachus atque ejus familia haud ita pridem incolumes evaserant, juxta vero timentes, ne simili diluvio adhuc submergerentur, turrim Babelicam eum in finem exstruxerint, ut intra illam, urgente necessitate, opportune sese recipere possent, atque sic contra quævis casum tuti essent. Nos autem

veremur, ne hac admissa hypothese fabricatoribus dictis aliquid adfingatur, quod tamen ab ipsorum intentione fuerit alienum. Quum enim ipsis adfatim constiterit, ingentes montium moles per vortices aquarum diluvianarum fuisse abreptas, quomodo eo stultitiæ procederent, ut sibi persuaderent, turrim a se exstructam, vi aquarum sustinendæ atque eludendæ suffecturam? Cui adde- re licet, quod si isthoc proposito opus suum inchoassent non in planitie, sed potius in excelsio monte turrim suam ædificaverint. Quocirca non erit rejicendum, quod Sacra Scriptura non adserat, turrim sæpe nominatam fuisse exstructam, ut futuræ securitati ita consulere- rent homines, sed potius ut nomen vel signum sibi facerent. Quamobrem etiam allata explicatio nobis minus arridet. Quum enim DEUS intensissimum sese conservandi stu- dium omnibus hominibus indiderit; inter prima quoque Juris Naturalis præcepta merito refertur: ut felicitatem nostram innoxia quavis ratione promovere studeamus. Qui igitur huic præcepto convenienter vivunt, DEUM offendere dici non possunt. Ex adsumta autem hypo- thesi molimina fabricatorum turris Babelicæ eo tende- bant, ut saluti suæ idonea circumponerent præsidia, a- deoque ipsos hætenus peccasse dici vix potest.

§. V.

Quamvis simplices admodum & proinde rudi ge- nio atque institutis hominum, quorum atas inciderat in ipsam mundi infantiam convenientes videantur expli- cationes modo allatæ, non tamen acutiorum Virorum impetrare potuerunt adfensum, qui igitur illis alias sub- limiores substituerunt. Huc imprimis referimus Episco- pum Cantuariensem, TENNISON, qui opinatur, pecca- tum fabricatorum turris Babelicæ fuisse Idololatriam. Scili-

Scilicet dicta turris exstructa esset in honorem Solis, propterea quod beneficis eius radiis terra post diluvium exsiccata & cultura apta fuerit reddita. Formam quoque turris fuisse pyramidalem existimat, quo emblemate ignem non raro designarunt Vetères. Quam suam opinionem confirmat hic Auctor partim testimoniis Eruditorum, qui perhibent, gentiles ejusmodi statuas soli posuisse, partim etiam ex Historia Sacra, ex qua constat, ipsos Israëlitas in gravissimam hanc idololatriæ speciem iterum iterumque fuisse prolapsos (a). Sed dubitare licet, an vel hic multiplici doctrina celebris Vir veritatem in hoc argumento detexerit. Quod aliæ gentes, verum DEUM haud rite cognoscentes, superstitionum fascine sese ita in transversum abripi passæ sint, ut luminaria cœli tanquam Numina adoraverint, neminem fugit; hoc tamen factum non probat, quod homines statim post diluvium viventes & qui ab ipso Noacho veram DEI cognitionem acceperant, eo usque dementia processerint, ut Soli Divinos mox honores tribuerint. Quid? Quod Scriptura Sacra idololatriæ peccatum fabricatoribus Babelicis non objiciat, nec tale quid suspicandi occasionem præbeat, nisi quodlibet *signum* significaret *idolum*, quod temere adferri nequit: ipsius igitur silentium pro valida opinionis allatæ refutatione haberi potest.

(a) Vid. *Libr. ejus de idololatria.*

§. VI.


In æstimanda gravitate delicti fabricatorum turris Babelicæ cæteris palmam præripere sibi visus est *von Der HARDT*, ipse novarum opinionum fabricator eximius. Scilicet postquam Noachus filio Chamo maledixisset, hic confestim odium acerrimum in Patrem atque Fratres

Fratres suos concepit. Et quum nec ipse nec filius ejus Canaan servitutem præsertim a cognatis ferre possent, onera sibi imminencia in Semi & Japheti humeros retorquere admodum studuerunt. Ut igitur prava sua perficere possent molimina, atque excursions varias in innoxiam Fratrum posteritatem impune facerent, consilium inierunt de extruendo munimento, intra quod, si quando successus ipsos falleret, se opportune reciperent. Ex sententia igitur Auctoris modo nominati NIMROD, Chami ex filio Chuso Nepos, vir *magnæ potentia*, prima urbis Babelicæ fundamenta jecit, turrimque molitus fuit, partim ut persequeretur jugum ejus detrectantes, partim etjam ut ad incitas redigeret eos, qui ex Semi essent Familia, qui avitam Religionem, mentem, sententiamque servarent, & Dominii jus prætexerent ex DEI decreto atque parentis denunciatione. Quare concludit, delictum fabricatorum turris Babelicæ in eo constitisse, quod decretum DEI & pœnam justam, Chamitis a Noacho prædictam, non solum eludere sed interverere studuerint. Ut hanc opinionem ulterius corroboret *von Der Hardt*, cœu evictum adsumit, fabricatores sæpe dictos fuisse tantum ex posteris Chami, nec cæteros horum cognatos, ex Semo & Japheto ortos, in societatem hujus facinoris venisse. (a). Enimvero quamvis negari nequeat, quin allata sententia primo intuitu perquam speciosa videatur, vix tamen admitti potest, explicationem modo allatam esse genuinam & menti Spiritus Sancti conformem. Cumulat enim *von Der Hardt*, Hypotheses, ut suam ita confirmet Hypothesin. Primo igitur contendit, Nimrodum fuisse Auctorem inceptæ turris Babelicæ, cui tamen opinioni refragantur alii & inter hos imprimis BOCHARTUS, qui dilucide ostendere nititur, Nimrodum ista tempestate vel admodum puerum fuisse vel nondum natum (b), quam sententiam pridem fove-

rat ABENESRA (c). Profecto quum ipse Chamus confuſioni Babelicæ ſuperſtes diu in Ægypto habitaverit, vix probabile videtur, hujus Nepotem Nimrodum tantæ tunc auctoritatis fuiſſe, ut ceteros mortales ad vana molimina ſeducere potuerit. Neque Auctori nominato concedi poteſt, quod fabricatores turris Babelicæ ex ſolis Chami poſteris fuerint. Gen. X. enim recenſetur integra Noachi progenies, ex qua diſperſus eſt populus per univerſum orbem, & Gen. XI. dicitur, quod omnes terræ incolæ tunc eadem lingua uſi fuerint; cui effato ſubjungitur, quod hi exſtruenda turri ſeſe accinxerint. Memorat quidem deinceps Textus ſacer, quod *filii hominum* hanc turrim exſtruxerint, quo nomine impij potiſſimum denotantur; ſed ſicut in initio ſermo eſt de omnibus in univerſum hominibus, ita æque generaliter vocem filiorum hominis in ſequentibus accipiendam eſſe, par omnino eſt; præſertim quum nemo facile negabit, quod pœna confuſionis lingvarum ad omnes homines ſeſe extenderit. Denique in allata Hypotheſi non apparet, in quo delictum Architectorum conſtiterit. Si quis dicat vitium fuiſſe in exſtructione urbis, ut ſe defenderent, ſciendum eſt, quod ASSUR ex Semi nepotibus oppida quoque & munimenta eundem forte in finem, voluntati divinæ non contrarium, ædificaverit; ſi dicas intentionem fabricatorum fuiſſe, ut probos opprimerent, hoc quidem dicitur, ſed non probatur, quum finis ipſorum fuerit, ut nomen vel ſignum ſibi facerent. Quid? Quod ſicut DEUS homines antediluvianos propter exſtructas urbes non puniverit; ita nulla apparet ratio, quare ob ſimile factum extraordinariam adeo pœnam poſtdiluvianis immitteret.

(a) Vid. von Der HARDTI *Ephem. Philol. Diſcuſſum III.* (b) Vid. *Ejuſdem Phaleg. Libr. I. C. IX.* (c) Vid. *Aben Eſra in Gen. II. Fol. 12. pag. 2.*

§. VII.

Missis igitur aliorum sententiis de delicto fabricatorum turris Babelicæ, quæ nobis planissima videatur, jam paucis erit indigitanda. Postquam igitur Noachus & hujus filii, subsidentibus diluvii aquis, ex arca fuissent egressi, DEUS, quæ summa ipsius est in genus nostrum bonitas, ipsi benedixit, hoc addens præceptum: Crescite & multiplicamini, & totam replete terram. Increvit etiam admodum brevi temporis spatio genus humanum, sed quod non raro contingere solet, crevit insimul hominum malitia, adeo ut mandatis divinis obtorto quasi collo reluctari non dubitaverint. Jussèrat quidem DEUS, ut per terræ orbem, qui culturæ jam aptus erat, dispergerentur, nec arctis habitarent sedibus. Enimvero hoc præceptum, quod in salutem generis nostri verge- re, mox ostendemus, exstructa turri Babelica eludere conabantur ejusdem fabricatores. Faciamus, inquiunt, nobis turrim, cujus apex in cœlum usque pertingat, & faciamus nobis signum, ne forte per terrarum orbem dispergamur, Gen. XI: 4.. Unde apparet, quod turris ista esset tamquam Pharos, quæ errantibus hominibus & victum per opaca silvarum quærentibus, aditum ad pristinas sedes monstraret; vocula enim  significat & nomen & signum. Superest, ut in moralitatem hujus tergiversationis inquiramus. Habuerunt quidem hi fabricatores syasorias quasdam causas, cur dispersioni, a DEO præceptæ, remoram injicerent. Hinc enim ferocia timebant animalia, quorum terra tempestate ista fuit feracissima, & quorum persecutione magnum sibi nomen haud immerito comparavit Nimrodus; illinc etiam difficulter a se impetrare potuerunt, ut charos cognatos & dulces penates relinquerent. Enimvero quum prior causa diffidentiam in DEUM manifesto prodat, qui tamen nun-

nunquam deserit timentes ipsum, & posterior, ne quidem contra mandatum Principis, civem jubentis castra sua sequi, valeat; neutra in excusationem tergiversationis prætendi potest. Contra ea ex parte DEI fortissimæ occurrunt rationes, quare homines quantocyus per orbem dispergerentur, si salus ipsorum curæ cordique illis esset. Primo enim quum maleferiati non minus, quam probi, increverent, quumque homines magis propendeant in vitia, quam in virtutum culturam; periculum erat, ne vera Religio per continua proborum atque impiorum consortia in manifestum vocaretur discrimen, immo ne impietas in præjudicium veræ pietatis successu temporis prævaleret. Deinde per istam dispersionem DEUS curam gerere voluit matrimonii, ut per illud genus humanum decenter propagaretur. Ex calculo enim natorum & denatorum constat, quod numerus marium & foeminarum sit quam proxime æqualis, adeoque si quidam ista tempestate plures duxissent uxores, cæteri deliciis conjugalibus carerent, unde dissidia atque odia ad interuersionem usque durantia existerent. Constat etiam, quod vagi concubitus propagationi generis humani admodum officiant; quare quum illi in densa hominum colluvie, & dum quisque sui quasi juris fuit, ægrius evitentur, ideo quoque omniscius DEUS dispersionem hominibus injunxit. His adde, quod sicut DEUS tam ob alia delicta, quam imprimis propter inordinatos hominum antediluvianorum concubitus terram aquis submersit, ceu colligimus ex Gen. VI:2, 3; ita ne idem peccatum in ingenti hominum post diluvium turba ingravesceret, dispersio per orbem terrarum perquam necessaria fuit. Denique quum homines statim post diluvium viventes, in se ipsos pessime fuerint animati, & avitum odium imis medullis defixum haberet; igitur quum in sedibus nimis arctis lites ex litibus quasi serantur, non destitissent

feroces hi populi, quin alter alterum oppressisset, præfertim quum & occasio aliis nocendi deesse non posset, & vim atque efficaciam imperiorum civilium, postea institutorum, homines tunc ignoraverint; quamobrem nisi dispersio mature facta fuisset, theatrum horrendarum vexationum & continuarum cædium fuisset apertum, in quo proinde non propagationi, sed destructioni generis humani gnauiter fuisset insudatum. Quam cladem prævertens Benignissimus DEUS, turrim excelsam Babelicam demolitus, & lingvas fabricatorum ita confudit, ut alter alterum non amplius intelligeret; quare opus inchoatum deferere & in alias aliasque terras sese dispergere coacti fuerunt. Nostra itaque admissa explicatione, optime constat tum gravitas delicti fabricatorum turris Babelicæ, tum etiam quod DEUS ex sapientissimo decreto talem immorrigeris inflixerit pœnam, quæ, salva hominum libertate, ipsos tamen & tunc & in posterum impediret, ne novæ exstructioni animum applicarent, atque ita voluntati Divinæ, in veram ipsorum felicitatem semper tendenti, reluctarentur. Sed heic vela dissertationis meæ jam contraho, atque ex portu refractarios turris Babelicæ fabricatores adhuc respiciens, ex intimo voveo pectore:

*Duc me, nec sine me per me, DEUS Optime, duci,
Nam duce me pereo, Te Duce, salvus ero.*

S. D. G.

